



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Dispvatio LXXIX. De sumentibus Sacramentum Eucharistiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**

# DISPUTATIO SEPTUAGESIMA NONA.

## De sumentibus Sacramentum Eucharistiae.

**I**N hoc Eucharistia Sacramentum ab aliis differt, quòd cetera ab usu non distinguantur, sed in ipsa eorum administratione consistunt. Hujus verò Sacramenti substantia ab illius usu est diversa, quam primum namque verba consecrationis à Sacerdote super materiam aptam cum debita intentione proferuntur, Christus sub speciebus illis constituitur, & verum conficitur Sacramentum, atque ita donec species corrumpantur, permanet, sive quis Sacramentum sumat, eoq; utatur, sive non, ut apud omnes est in confesso.

### SECTIO PRIMA.

#### Quinam sumere possint hoc Sacramentum.

I. Duplex est Sacramenti Eucharistia usus, Sacramentalis, & Spiritua-  
lis.

**S**ANCTUS Augustinus, Sanctus Hilarius, & alii Patres usum hujus Sacramenti aiunt esse duplicem: Sacramentalem, & Spiritualem; Sacramentalis usus est, quando ipsum Sacramentum, Christus scilicet sub speciebus verè & realiter praesens sumitur: spiritualis verò usus ille dicitur, dum quis habet votum, seu desiderium ac propositum suscipiendi hoc Sacramentum, quod tamen, ut sit sumptio, seu usus spiritualis, procedere debet ex fide vivâ, quae scilicet est informata Charitate, seu in animâ gratiam habitualem habente.

II. Eadem sumptio Eucharistia potest esse & Sacramentalis, & Spiritua-  
lis.

Eadem verò sumptio seu usus, & sacramentalis esse potest & spiritualis. quando nimirum quis in gratiâ existens hoc Sacramentum cum intentione & cognitione manducat; si enim manducetur, vel sine cognitione, ut à bruto, vel homine existimante hostiam non esse consecratam, non potest propriè dici sumptio sacramentalis, sed materialiter tantum, cum non sit usus Sacramenti ut Sacramentum est. Imo licet quis cum intentione & cognitione Eucharistiam sumat, si tamen effectus hujus Sacramenti sit incapax, non potest etiam dici propriè usus sacramentalis, cum Sacramentum applicaretur subjecto sibi impropionato.

III. Ad sumptionem Sacramentalis

Ad sumptionem ergo, seu usum sacramentalem tria illa jam posita requiruntur, cognitio, intentio, & subjectum aptum, seu capax fructus

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.

Sacramenti, augmenti scilicet gratiae. Quamvis autem spiritualis usus, seu sumptio in subjecto effectus illius seu fructus capace conferat gratiam, plus tamen confert sumptio realis, seu sacramentalis; aliquid enim gratiae addit supra meritum operantis.

Circa illos ergo, qui hoc Sacramentum suscipere possunt, hominibus imprimis Sacramenti hujus sumptionem competere certum est, cum & ipsorum gratiâ institutum primò fuerit, usque impositum sit illius sumendi praecipuum. Animalia rationis expertia, ut proximè dixi, esto materialiter corpus Christi manducare possint, cum non minùs species sacramentales sumere, & in stomachum trajicere possint, quàm homines, non tamen possunt formaliter seu sacramentaliter comedere corpus Christi, nempe cum verâ intentione sumendi illud: quo tantum sensu negavit Waldensis & alii nonnulli bruta posse manducare corpus Christi.

IV. Hominibus institutum est hoc Sacramentum.

Quoad Angelos etiam dicendum, non posse eos vel corporaliter hoc Sacramentum manducare, cum corpora non habeant, & si assument, adhuc actio illa ore sumendi & comedendi non esset propriè manducatio & motus vitalis, sed nec etiam propriè possunt hoc Sacramentum manducare spiritualiter; spiritualis enim manducatio, non est nisi in ordine ad corporalem; nec enim proprium habere potest desiderium hujus Sacramenti is, qui illud reipsâ sumere non potest. Lato tamen modo subinde dicuntur spiritualiter Christum manducare, quia ei per charitatis vinculum uniuntur: sicut etiam à Patribus non semel dicuntur aliqui Christum spiritualiter manducare, quia illius adventum & mysteria credunt.

V. Angeli etiam corporaliter non possunt hoc Sacramentum manducare, sed licet assument corpora.

Q9

Manducatio

VI. Triplex est hujus Sacramenti manducatio.

Manducatio itaque hujus Sacramenti, ut numero primo declaravi, triplex est, Spiritualis tantum, quando quis Fide vivâ, seu Charitate informata illud sumere desiderat; Sacramentalis tantum, quando realiter quis cum verâ intentione illud sumit; Spiritualis simul & Sacramentalis, quando quis in gratiâ ad illud accedens, fructum ejus recipi percipit.

VII. Parvuli baptizati fruuntur hujus Sacramenti sunt capaces.

Quoad parvulos dicendum eos, si baptizati sint, esse capaces fructus hujus Sacramenti: unde olim in variis Ecclesiis, tum græcis tum latinis consuetudo fuit, ut parvulis Eucharistia ministraretur; Sanctus enim Dionysius capite secundo de Ecclesiasticâ hierarchiâ, parte secundâ & tertiâ id affirmat, quem licet Sanctus Thomas quæst. 60. articulo nono, ad tertium exponat, quod solum loquatur de adultis, verba tamen ejus videntur esse de omnibus baptizatis, quibus statim post baptismum Eucharistiam dari solitam esse affirmat. Clariùs verò idem Sanctus Dionysius capite septimo, parte tertiâ, sub finem idipsum tradit his verbis: *Illud verò quod pueri quoque qui nondum possunt intelligere divina, sacri Baptismatis altissimorumq; communionis sacro-sanctæ signorum participes fiant, profanis (hoc est gentilibus) irridendum videtur; & intra: Tradit autem puero sancta mysteria Pontifex, ut nutriatur in ipsis, neque vitam aliam habeat nisi hanc, quæ divina inspicit semper, & quæ hujusmodi sanctâ communionem proficiat.* quæ verba, inquit, Suarez, tam aperta sunt, ut nullam admittant expositionem.

VIII. Alii etiam Patres docent parvulos esse hujus Sacramenti capaces.

Idem testatur S. Cyprianus in libro de lapsis, & miraculo confirmat: Sanctus etiam Augustinus epist. 23. ad Bonifacium lib. quarto de Trinitate, capite decimo, & alibi sæpe: Sanctus quoque Clemens, & alii Patres, insinuatque hæc consuetudo in Concilio Toletano undecimo, capite primo, ubi dicitur, eum qui ob infirmitatem, necessitatem, mentis incapacitatem, vel infantiam, susceptam Eucharistiam evomuerit, puniendum non esse. Tandem Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 4. idipsum agnoscit, dum ait sanctissimos illos Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuisse.

IX. Quæres, quæ de causâ modo parvulis non detur Eucharistia.

Quæres: Cur ergo in præsentî Eucharistiam Ecclesia parvulis non ministrat: si enim effectus illius capaces sint, non videntur jure posse illius usu privari. Respondetur: quod capaces sint non videtur dubitari posse; nec enim tot viri doctissimi & sanctissimi consuetudinem illam admisissent, si nullum inde fructum parvulis provenisse existimassent: nunc verò crescente fidelium numero, sine magno irreverentiæ periculo fieri non potest, quod aliquali parvulorum utilitati, præferri debuit. Sicut non nisi postquam ad usum rationis venerint pueri, confirmationis Sacramentum suscipiunt, quæ tamen si ipsis in infantia statim post baptismum, ut antiquitus fiebat, conferretur, gratiam in eis augetet, quo plurimi augmento jam privantur, qui priusquam ad rationis usum perveniant, è vitâ decedunt: & licet per duas communionem moraliter diversas plus gratiæ conferatur quàm per unam, meritò tamen ob reverentiam erga hoc Sacramentum prohibuit Ecclesia ne quis bis eodem die communicet.

X. De perpetuò amentibus idem dicendum quod dicitur de parvulis.

Quoad amentes, vel sunt perpetuò amentes, tunc autem eadem est ratio de illis ac de parvulis: vel aliquando ratione usi sunt, tunc vero si antequam in amentiam inciderent devotionem aliquam ostendebant, sacro hoc pane orbandi omnino non sunt, saltem in articulo

mortis. Unde in Concilio Arausicano dicitur amentibus quæcumque pietatis sunt, esse conferenda, & clariùs in Concilio quarto Carthaginensi, canone 76, ubi habetur: *Is qui penitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium qui eum audierint, & accipiat penitentiam, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Imò ait Suarez disp. 69. sect. 2. & alii, debere iis in articulo mortis Eucharistiam dari, quòd desumi videtur ex Sancto Thoma & Conciliis citatis, & praxi Ecclesiæ. Si tamen amentia non putetur fore perpetua, nec, dum ea durat occurrat necessitas, expectandum donec ad se redeant.

Carvenda tamen semper irreverentia, ut si effectus periculum expuitionis aut vomitûs; tunc enim non esset danda iis Eucharistia, sed consulendum hac in parte est majestati hujus Sacramenti. Quando autem jubet Apostolus, ut homo probe se, qui accedit ad hoc Sacramentum, alloquitur eos qui ultro & scientes accedunt; alios enim ab Ecclesia vel à suo quemque Pastore probari sufficit. Ii verò qui semifatui sunt, & rationis usum imperfectum retinent, ad hanc mensam saltem in Paschate admittendi sunt, imò sapiùs, si devotionem præ se ferant.

XI. Carvenda tamen semper irreverentia.

Energumeni statim temporibus ad Eucharistiam admittendi sunt, ut docet sanctus Thomas quæstione octogesimâ, articulo nono ad secundum. Quando ergo S. Dionysius in libro de Ecclesiasticâ hierarchiâ, capite tertio, parte secundâ dicit eos etiam aspectu hujus Sacramenti arcendos esse; loquitur, inquit sanctus Thomas, de energumenis nondum baptizatis. Dum etiam Concilium Adlibertinum ait energumenum ad altare non admittendum, loquitur de excommunicato, qui traditus Satanae in interitum carnis ob publica scelera à dæmonibus vexatur.

XII. Danda Energumenis interdum Eucharistia.

SECTIO SECUNDA.

Quæ dispositio animæ & corporis ad Eucharistiam requiratur.

SERMO est de homine baptizato, qui enim baptismum necdum suscepit, indispositus planè est ad Sacramenti hujus susceptionem, cum fructus illius percipiendi sit incapax. Quare, quantumvis quis sit justus, si tamen non sit baptizatus, indignè ad hoc Sacramentum accedit, & peccat accedendo; Baptismus quippe est janua aliorum Sacramentorum: unde non baptizatus incapax dici potest suscipiendi Eucharistiam quoad effectum ejus & significationem: sicut enim, ut rectè Suarez, nutritio in cibo corporali supponit generationem, ita ut quis per Sacro-sanctam Eucharistiam, quæ est cibus & alimentum animæ, nutriatur spiritualiter, supponi debet generatus seu regeneratus per baptismum, & vitam spirituales adeptus.

I. Sermo tantum est de baptizatis.

Circa alias verò dispositiones, supra, cum de Sacramentis in genere diximus, ut quis accedat ad Sacramenta vivorum requiri per se loquendo, ut sit in gratiâ, cum Sacramenta illa non ordinantur per se & directè ad primam gratiam conferendam, sed solum ad illius augmentum: unde quisquis peccati mortalis conficius ad aliquod ex his Sacramentis accedit, actum contritionis elicere tenetur, si verò Eucharistiam sumere velit, ultra hoc

II. Peccat per se loquendo qui ad Sacramenta vivorum accedit sine gratiâ.

hoc confiteri debet, ut declarat Concilium Tridentinum sessione decima-tertia, capite septimo, si detur copia Confessarii, si vero urgeret necessitas, & Confessarius haberi non possit, accedere potest contritus ad hoc Sacramentum, non tamen ubi necessitas non urget, quantumvis sibi videatur contritus.

III. Quando ratione necessitatis possit quis communicare cum solo actu contritionis.

Tum verò censetur urgere necessitas, quando quis sine infamia omittere communionem non potest, ut si Sacerdoti post Sacrum jam inchoatum, vel laico qui ad scamnum communicantium communicatur accessit, peccatum aliquando grave menti occurreret, nec ille ab altari, neque hic à scamno recedere teneretur, nec Sacerdotem eò vocare, ut peccata confiteatur. Quod etiam intelligitur de Sacerdote, qui vel ex officio, vel ex consuetudine quotidie celebrare solet.

IV. Quando censetur deesse confessarius.

Tunc etiam non solum censetur deesse Confessarius, quando verè abest, aut non est prope, quod prudentis iudicio relinquendum est, sed quando adest talis cui sine gravissimo incommodo confiteri non potest, vel cum non est approbatus, aut habet jurisdictionem absolvendi ab omnibus peccatis alterius. Casu autem quo quis peccata omnia mortalia sine gravi incommodo confiteri non posset, ea saltem confiteri juxta communem sententiam tenetur, quæ sine ejusmodi incommodo potest. Videatur Suarez disput. sexagesima-sexta, sect. quarta, Vasquez disp. ducentesima octava, Tannerus, Coninck, & alii.

V. Quale sit præceptum confitendi ante communionem.

Sola hic restat difficultas circa præceptum hoc confitendi cum accedere quis vult ad Eucharistiam, utrum scilicet sit juris positivi divini, aut humani, an etiam naturalis.

VI. Hoc præceptum confitendi non est juris naturalis.

Dico primò: Hoc præceptum non est juris naturalis, etiam supposita institutione Sacramentorum Eucharistia & Pœnitentiæ: ita Suarez disputatione sexagesima-sexta, sect. tertia, & communis sententia contra Sylvestrum, & Petrum Soto, qui dicunt esse juris divini naturalis. Probatur conclusio, nam ex vi juris naturalis non plus exigitur quàm ut sancta sanctè tractentur, unde licet Eucharistia sit inter Sacramenta summæ dignitatis, hæc tamen dignitas non plus requirit, quàm ut quis in gratia accedat, quod præstat is qui actum contritionis præmittit.

VII. Stando tamen in natura utriusque Sacramenti, & consequenter jure naturali, ut communicatur prius ad confessionem accedat, si peccati mortalis sit conscientis, idque licet actum contritionis elicerit, tum ob dignitatem hujus Sacramenti, tum ob mysticam illius significationem: cum enim Eucharistia sit signum unionis Ecclesiæ visibilis cum suo capite Christo, & membrorum illius inter se, congruum etiam est, ut qui illum sumit, non solum sit Deo invisibiliter per contritionem reconciliatus, sed etiam Ecclesiæ per confessionem visibiliter: tum denique quia peculiari modo institutum est Pœnitentiæ Sacramentum, ut homines ad Sacramentum Eucharistiæ ritè disponantur.

VIII. Hac tamen non probant præmissio-nem confessionis esse ad communionem absolutè necessariam.

Congruum quidem est, etiam stando in naturâ utriusque Sacramenti, & consequenter jure naturali, ut communicatur prius ad confessionem accedat, si peccati mortalis sit conscientis, idque licet actum contritionis elicerit, tum ob dignitatem hujus Sacramenti, tum ob mysticam illius significationem: cum enim Eucharistia sit signum unionis Ecclesiæ visibilis cum suo capite Christo, & membrorum illius inter se, congruum etiam est, ut qui illum sumit, non solum sit Deo invisibiliter per contritionem reconciliatus, sed etiam Ecclesiæ per confessionem visibiliter: tum denique quia peculiari modo institutum est Pœnitentiæ Sacramentum, ut homines ad Sacramentum Eucharistiæ ritè disponantur.

Nullum tamen horum probat necessitatem illius absolutam jure naturali: non primum ut ostensum est: non secundum; sæpè enim peccata mortalia sunt merè interna; deinde si sunt externa, sufficit ad reconciliationem etiam externam cum Ecclesiâ contritio signo aliquo externo manifestata: non tertium; dici enim po-

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.

test institutum hoc sensu Sacramentum Pœnitentiæ in ordine ad Eucharistiam tanquam medium utilissimum ad homines ritè ad illius susceptionem disponendos, non tamen tanquam quid necessarium.

Suarez ergo Disputatione sexagesima-sexta, sectione tertia, ait, esse juris positivi Divini, & à Christo immediatè præceptum, ita ut nullo modo sit penes Pontificem hac in parte dispensare. Idem tenet Soto in quarto, distinct. duodecimâ, quæst. duodecimâ, articulo quarto, Valentia hic, disp. sexta, quæstione octava, puncto tertio, Vasquez disput. ducentesima septimâ, & alii. Probant primò, quia Pontifex in hac re nunquam dispensavit; ergo verisimile est eum non posse in illâ dispensare. Contra: nec unquam dispensavit ut quis calicem sine aquâ consecraret, inde tamen non sequitur non posse eum in hac re dispensare si occasio ferret.

IX. Dicitur multis præceptum hoc confessionis ante communionem esse juris divini positivi.

Probant secundo: Probatio siquidem quam Apostolus primâ ad Corinthios cap. undecimo ad Eucharistiam sumendam exigit illis verbis, *Probet autem seipsum homo*, &c. est confessio, ut explicat Concilium Tridentinum sessione decima-tertia, capite septimo, sed hæc probatio est juris divini, ergo & cætera. Ad hoc etiam respondetur, omisâ majori negando minorem; ubi enim Apostolus versu vigesimo-tercio retulisset quæ à Christo circa Sacramenti hujus institutionem acceperat, subdit postea suis verbis: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*: deinde ostendens quid faciendum sit, ut quis dignè comedat, subjicit, *Probet autem seipsum homo*, &c. Licet ergo dicat Apostolus priora se accepisse à Domino, non tamen hoc affirmat de posterioribus, ut bene ostendit Coninck quæst. octava, art. quarto, dub. primo, num. decimo-tercio.


X. Secundo arguitur ex verbis apostoli, *Probet autem seipsum homo*, &c.

Quod verò ibidem dicat Concilium Ecclesiasticam consuetudinem declarare confessionem esse necessariam ei, qui ad Eucharistiam vult accedere, si peccati mortalis conscientis sit, non autem dicat Concilium introduxisse, argumentum est tantum negativum, solum namque intendit Concilium, ex Ecclesiasticâ consuetudine probare confessionem esse & fuisse jam à nascente Ecclesiâ in hoc casu necessariam, quod quæ negaret, incidere in opinionem Caietani dicentis suo tempore nullum fuisse præceptum obligans ad confessionem ante communionem, quam sententiam rejicit Concilium sessione illâ decima-tertia, canone undecimo, & sub penâ excommunicationis vetat, nequis opinionem illam ullo modo asserere vel publicè docere præsumat. Unde Canus, Catherinus, & Sixtus Senensis aiunt sententiam illam Caietani nunc esse in fide erroneam, Suarez plusquam temerariam. Utrum autem fuerit semper necessaria ante communionem confessio ex præcepto divino vel humano, ibidem non tradit Concilium, sed mera opinio est inter Theologos disputata, ut fatetur Suarez sect. illâ tertia, fine.

XI. Nec obstat, quòd Concilium non dicat consuetudinem Ecclesiasticam hoc introduxisse, sed tantum dixerit hoc declarare.

Probant tertio ex Patribus: Sanctus quippe Cyprianus in diversis Epistolis, & libro de lapsis, docet peccatores contra legem Evangelii facere, si sine Sacerdotis iudicio ad communionem accedant. Sanctus etiam Leo Epistola nonagesimâ primâ ait Christum Sacerdotibus dedisse potestatem admittendi peccatores ad Eucharistiam.

XII. Obje. S. Cyprianum & S. Leonem insinuate hoc præceptum esse divinum.



Ad primum dico, loqui illic Sanctum Cyprianum de lapsis in idololatriam, qui publice iudicio Ecclesiae erant à communione exclusi. Ad secundum respondetur, sufficienter salvatur hæc potestas Sacerdotum, ex eo quod Christus auctoritatem iis dederit, legem condendi, ne quis peccator, nisi confessus, ad sacram synaxin accedat.

XIII. Probabile videtur hoc præceptum confessionis ante communionem, esse tantum Ecclesiasticum.

Quare nihil video, quod hanc sententiam vincat. Unde probabile existimo cum Medina, Navarro, Coninck questione octogesimâ, articulo quarto, dubio primo, sine & aliis, solum prohibitum esse iure Ecclesiastico, seu humano ne quis peccator sine confessione præviâ ad communionem accedat. Quod præter dicta probatur ex Concilio Tridentino sessione vigesima primâ, capite secundo, ubi docet potestatem semper in Ecclesiâ fuisse, ut circa Sacramentorum dispensationem, salvâ eorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, vel Sacramentorum dignitati, &c. magis expedire iudicaret, & hinc probat posse Ecclesiam mutare consuetudinem communicandi sub utraque specie: sed peccatorem non accedere ad communionem nisi præmissâ confessione, nisi est contra substantiam Sacramenti, ergo. Et hæc de dispositione animæ.

XIV. Qui ad sacram synaxin accedit, esse debet jejunius.

Deinde secundum antiquissimam Ecclesie consuetudinem, quæ vim legis obtinet, quisquis ad communionem accedit, jejunius sit necesse est jejuniio perfectissimo, seu naturali, cui tamen non obstat paucillum aquæ, aut alterius rei per modum salivæ in stomachum descendens, aut etiam musca cum aère attracta,

ut docet Tannerus, & alii. Articulus tamen mortis, sive ex morbo, sive supplicio imminens, ab hac obligatione excusat, licet etiam tunc, si possit, teneatur manere jejunius donec communicaverit.

Si tamen duret aliquandiu ægritudo, poterit communicare non jejunius, ut docet Suarez, Coninck, & alii communiter contra Vasquez, primò quia excipitur ab Ecclesiâ articulus mortis: deinde nimis grave est ubi quis in initio morbi communicavit, non jejunius, & morbus postea durat ad menses aliquot, si non posset amplius toto illo tempore communicare. Non tamen potest Parochus, ut moribundum communicet, celebrare non jejunius, ut docent omnes communiter, cum hic casus non sit ab Ecclesiâ exceptus.

Si verò Sacerdos in altari recordetur se non esse jejunius, si hoc ante consecrationem contingat, discedere ab altari debet, si sine scandalo aut infamiâ fieri possit; si verò post consecrationem, debet pergere. Præterea particula, si quæ relicta sint, possunt post calicis abluionem à Sacerdote, dum adhuc in altari est sumi, sive ea ejusdem sacrificii particulae sint, sive alterius. Quando autem pro vino aquam se in calice habuisse percipit, debet post eam sumptam vinum consecrare & sumere. Si verò periculum abusus & irreverentiæ in hoc Sacramentum ab infidelibus vel hæreticis, aut aliis immineret, tunc quis non jejunius sive Sacerdos sive laicus debet illud sumere.

XV. Post quinque vel sex dies potest quis in ægritudine de novo communicare non jejunius.

XVI. Quid si Sacerdos in altari recordetur se non esse jejunius.

Quid si quis pro vino quod in calice se habuisse vidit madaverit.

